



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. Quid de voto implicito?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



De Sacram. Euchar. Cap. X. 181

tinendæ, ac proinde, cum Eucharistiæ Sacramentum institutum non sit ad producendam primam gratiam, sequitur non esse necessarium necessitate mediæ verum illud recipiendi votum seu desiderium.

*Quæst. 5.* Votum implicitum & improprie dictum Eucharistiæ, est-ne ad salutem necessarium necessitate mediæ?

*Resp.* Cum hoc votum contineatur in susceptione Baptismi, quatenus per Baptismum unimur Ecclesiæ, & idonei efficimur ad sumendum Sacramentum Eucharistiæ; sicut etiam propter propensionem, quam qui recipit vitam spiritualem, censetur habere eam conservandi, & perficiendi per susceptionem Eucharistiæ, quæ est vitæ spiritualis consummatio; sequitur quod sicut Baptismus est de necessitate mediæ ad salutem, ita votum Eucharistiæ improprie acceptum par sit necessitatis.

*Quæst. 6.* Quomodo intelligendum est id quod dicitur Joannis cap. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quo videtur, posse concludi, Sacramentum Eucharistiæ realiter susceptum esse de necessitate mediæ ad vitam æternam consequendam?

*Resp.* Sanctus Thomas clarè explicat hunc locum autoritate Divi Augustini cujus verba referuntur in Canone; *Cum dicat, hunc cibum & potum, (scilicet carnis suæ & sanguinis) societatem vult intelligi Corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis & vocatis, & justificatis & glorificatis sanctis & fidelibus ejus: Hoc est secundum explicationem Divi Augustini, necesse est ad salutem, manducare, & bibere Corpus & sanguinem Domini, ita ut per hanc*

S. Tho. 3. p.  
q. 73. art. 3.  
ad 1.